Contenta.

Plura Scripta Hañenbergiana v. in SVEL. Theol.
Añal. Deceñ. 3 p 224

EXAMEN PLACIDUM, DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ, DE MINISTRIS IN RELIGIONE DISSIDENTIBUS.

quam Annô nuper elapsô

D. JOAN. GEORG. ABICHT,

in Celeberrima Gedanensi Civitate

ATHENÆI RECTOR,

Tam luci publicæ,

quàm Opponentium Examini

ultrò proposuit,

Cum omni Moderatione

Per

P. GODEFRIDUM HANNENBERG,

Soc. JESU.

INSTITUITUR,

PERMISSU SUPERIORUM.

Annô 1725.

POSNANIÆ,

Typis Clari Collegii Societatis JESU.

Lector Benevole.

ADversus *Opuscula illa*, Demonstratio Septicollis, quòd Dissidentium Ministri non sint Presbyteri, &, Tittel ohne Mittel, *nuncupata*, (*prout ex circumstantiis, illaque Schelgvigii adjecta Apprecatiuncula, facilè colligitur*) *prodiit nuper Disputatio per modum Responsionis, hac de re, Theologica. Fateor quidem Tractatûs hujus Authorem, Virum esse singulari moderatione; unà cum insigni Eruditione atque Librorum notitiâ (verbô, qualem decet esse Gedanensem) præditum; nec non Doctrinam suam ordinariam, Lutheri insistendo Principiis, plus aliîs, enucleâsse. Nihilominus, nec Assertiones ejus sufficienter probatas, nec Argumentis meis, ex Sacris Codicibus totaque Ecclesiæ Christi Antiquitate, succinctè licèt congestis, satisfactum aut Responsum esse, in præsenti demonstrabo. Quod ubi palpabitur, nemo existimet,*

id ex defectu præfati Authoris accidisse, (cùm nullum Dissidentium Pastorum, quorum evolvi Lucubrationes, exactiùs illo, hac de re scripsisse adverterim) sed ipsius potiùs opinionis: quæ, utpote debili nixa fundamento, etiam à robustissima manu, contra Veritatis impetum, ægrè defenditur. Ita tamen temperabo Stylum, ut neminem prorsus ferociter pungere (nisi fortè salutariter compungere) valeat. Ad id enim faciendum, Tum propensione, qua in Per-Magnificum, Prænobilem, ac Inclytum Senatum Gedanensem (cujus Illustria Nomina, ipse in Fronte Operis exaravit, Ego in Pectore colloco) enixè feror; tum etiam Authoris in scribendo Modestiâ permoveor. Et quamvis D. Gottlieb Schelgvigius in sua Acclamatione, aliquot morsibûs, juxta Plauti an Plaudrii loquendi modum, Scripta mea laceraverit, ac proinde acutiore stylo reprimi mereatur, parco nihilominus Viro pro hac vice, quia Gedanensis est.

 Quæ-

Quæritur Primò:

Utrum Rationes, quibus D. Rector probare contendit, Ecclesiam etiam particularem, totam videlicet in hac vel illa Civitate, Credentium multitudinem, habere Potestatem constituendi & creandi Presbyteros, ad persuadendum valeant?

1. Respondeo negativè. Videamus Dissertationem ejus. A pag. 1. ad 12. inclusivè, nihil ad Propositum affertur, sed multîs duntaxat ambagibûs declaratur, Ecclesiam particularem, seu totum alicujus Comunitatis Populum posse sibi eligere Ministros Spirituales, Presbyteros & Episcopos. Verùm de tali Vocatione, pro Electione videlicet, Præsentatione, atque Idoneorum ad Ecclesiæ Ministeria exhibitione, sumpta, non agimus in præsenti; cùm lubens annuam, innumerisque Exemplîs comprobari posse haud diffitear, etiam Populum, (cui vita, mores, & aptitudo Ordinandorum bene perspecta) consentiente Potestate Ecclesiastica, in E-

lectio-

lectiones hujusmodi, sive Apostolorum tempore, sive deinde in Ecclesia primitiva, admissum fuisse. Quin imo etiam hodie Principes & Magistratus Catholici, Viros idoneos eligere, præsentare, & hoc præcisè sensu ad Episcopatum aut Presbyteratum, suffragante Jurisdictione Spirituali, vocare consueverunt. Ast nullô unquam sæculo auditum est, Electos, per hanc ipsam Electionem adipisci Potestatem validè administrandi Sacramenta, prædicandi legitimè Verbum &c. cùm virtutem conferendi Potestatem hanc, nec Christus, nec Apostoli, omni promiscuè fideli populo, sed quibusdam duntaxat specialiter ad id Selectis & Ordinatis, nempe Episcopis comunicaverint. Ut patet non solùm ex Apostolorum ac continuò succedentis Ecclesiæ, in illo Opusc. Lat. à num. 1. ad 18. & Germ. à 1. ad 44. inclusivè, adducta Praxi; verùm etiam satis luculenter vel ex ipsis à D. Rectore objectis, si bene perpendantur, Exemplis. Ac proinde totus hactenus Discursus áërem potiùs quàm mea verberat Argumenta.

2. Tandem pag. 13. meritò fatetur D. Rector, præcipuam adhuc superesse Quæstio-

ſtionem, ac probandi neceſſitatem, quòd Poteſtas Presbyteralis per Electionem Societatis, non verò per Ordinationem Epiſcopi habeatur. Seriò igitur tantæ aſſeverationis trutinemus fundamenta. *Primò* comparationem cum Electione Principum & Magiſtratuum inſtituit, quòd nimirum ſicut his per Electionem Populi, Poteſtas Regendi, ita pariter Miniſtris Spiritualibus Poteſtas Presbyteralis conferri debeat: & ſicut Coronatio ac Inauguratio actus ſunt merè acceſſorii, ſalvaque Dignitate Regia abeſſe poſſunt, ita & Ordinatio &c. Rationem hujus ipſius ſubjungit: *Quoniam Electio Perſonarum jure naturali nititur, & à Societate removeri nequit &c.*

3. Reſpondeo, paritatem allatam nihil penitus evincere. Cùm enim Poteſtas Regendi ſæcularis, bonum ſit merè naturale, hinc poterit quoque Comunitas, Jus conferendi eam, habere naturale. E contra Poteſtas diſpenſandi DEI Myſteria, adminiſtrandi validè Sacramenta, prædicandi ritè Chriſti Evangelium, monſtrandi æternæ ſalutis tramitem, Donum eſt DEI ſupernaturale, quod vires, Poteſtatem, omneque Jus naturæ longè excedit; ac pro-

proinde non ex consensu & electione hominum, verùm ex gratuita largitione Salvatoris, sive per se, sive per eos, quos ad id specialiter deputaverit, obtineri debet.

4. Unde colligitur, non nobis incumbere, (ut D. Rector pag. 3. obtruserat) probare, quòd aut quandonam Christus Ecclesiam Jure naturali creandi Presbyteros, privaverit, cùm manifestum sit, Eam, tale jus naturale ad conferenda dona supernaturalia, nunquam habere potuisse. Pag. verò 15. relicto priore, aliud salvandi se medium arripit, dicens: *Concedimus, homines ex gratia DEI in Ecclesiam colligi, verùm negamus, Fideles ad Ecclesiam ex Gratia collectos non habere Potestatem eligendi* (puta creandi, constituendi) *Ministros* &c. Et paulò inferiùs: *Accedit, quòd ipsa Ecclesia à DEO ex peculiari Gratia sit ita constituta, ut possit suos constituere Ministros, de quo mox plura dicemus.* Jam itaque prima illa Ratio de Jure naturali, & comparatione cum Electionibus Principum, non subsistit, sed alia prorsus in medium producenda (persuasiva nimis, ut tot contra, in Opusculis meis exarata Argumenta, probabilitatis speciem præseferre censeatur) qua indigitetur, ubinam Salvator noster per pecu-

liarem Gratiam aut ipſum Baptiſmum, omni fideli Populo, Jus & Potentiam creandi Presbyteros, aut conficiendi Sacramenta, appropriaverit.

5. *2dò*, locô Probationis, adſtruit D. Rector pag. 14. *Caſus Belli, Contagii, Tyrannidis, aut ſi pauci homines in Inſulam quandam dejiciantur* &c. Quibûs caſibûs, etiam à paucis Chriſtianis Poteſtatem validè adminiſtrandi Sacramenta, poſſe alicui absque Ordinatione committi, intrepidè affirmat. En! probandum erat, Eccleſiam ſumptam pro univerſo fideli populo, aut (quod adhuc incredibilius eſt) etiam quamvis particularem Eccleſiam, notabilem videlicet Cœtum ex variis hominum Statibus conflatum, habere Poteſtatem creandi Presbyteros. Aſt locô hujus, tale quid pro libitu adſtruit, quod incomparabiliter minùs veriſimile quàm priora. Præfatam nempe Potentiam vel pauculis Chriſtianis liberaliter tribuit, ſuamque Aſſertionem ſolis admirationis ac interrogationis notulis confirmat, dicens: *Quis dicere audeat, talem Miniſtrum non validè prædicare Evangelium? non validè adminiſtrare Sacramenta?* Reſpondeo, omnes & ſinguli, quicunque DEI Verbum, & tot Rationes in Tracta-

tulis

tulis meis propositas, non perfunctoriè expendere satagunt.

6. Quid, si unus tantùm medios inter Infideles existat, igitur sibi ipsi administrare valebit Sacramenta? Quid, si pauculi illi homines vino & pane destituti fuerint, igitur Eucharistiam ex aqua & herbarum radicibus consiabunt? Quid, si nec aquam habuerint, igitur arenâ baptizare poterunt? Non, non, respondebit proculdubio (ut arbitror) D. Rector, siquidem illa, quam Christus instituit, supponitur non adesse materia. Ita pariter censendum, dum Minister, qui juxta Institutionem Ejus, (ut ex Praxi Apostolorum colligimus) ritè ordinatus sit, non habetur. Quid ergo in tali necessitate facturi homines? Id, quod legitimè possunt, ne DEum temerario ausu magis offendant: Id, quod facerent, si divisim existerent. Piè ac dolorosè conterantur, & apud Dominum misericordiarum, bona pro facto stabit voluntas. Libenter quidem concedo, unum Christianum posse alterum, præsertim in casu necessitatis, quin imo persæpe etiam obligari, Doctrinâ salutis imbuere; quamvis ordinaria prædicandi Evangelium Potestas, ipsis duntaxat Episcopis, ac per Eos

Presbyteris concedatur. Verùm absolvere à peccatis, consecrare Eucharistiam (quæ Potestas est Presbyteralis) solis Apostolis, eorumq; per legitimam Ordinationem Successoribus communicatum est. Et ideo Christus Dominus Joan. 20. v. 22. tunc dixerat Apostolis: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata* &c. dum clausîs januîs soli essent congregati. Pariter Cœnam ultimam, ipsîs duntaxat Apostolîs præsentibûs, celebravit.

7. *3tiò* tandem pro Ratione id depromitur à pag. 15. quod ne umbram quidem veri habet. Ita videlicet illa Scriptura Mat. 18. v. 5. &c. exponitur, ut singuli Christiani, tam Potestatem absolvendi à peccatis, quàm transferendi Virtutem Presbyteralem in alterum, possidere asserantur. Sed expendamus Scripturam: *Si peccaverit in te frater tuus*, (inquit Dominus) *argue eum inter te & ipsum -- si te non audierit, assume tecum adhuc unum aut duos -- quodsi non audierit, dic Ecclesiæ. Si verò Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo.*

8. Per-

8. Perscrutare Lector Veritatis cupide, citatum Caput, & observabis, duo hìc potissimùm à Salvatore nostro hominibus inculcari. 1. Concordiam fratrum & facilem injuriarum condonationem, ac proinde subjungit: *Ubi duo vel tres congregati sunt in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* 2. Quid nomine Ecclesiæ, quam audiendam præcepit, intelligendum sit? videlicet non Populus, non Grex, (*nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores? 1.Cor.11.*) sed illi, qui regunt Populum, qui spiritualiter pascunt Gregem. Et ideo, postquam dixisset: *Si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* ne vel minima dubitandi superesset occasio, immediatè affatur Apostolos: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis* &c. Illos Apostolos, de quibus alibi toties, e. c. Joan. 20. v. 22. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittentur, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* De quibus, eorumq; Successoribus postea S. Paulus Act. 20. v. 8. *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.*

9. Addo, qui in præfato Textu, nomine Ecclesiæ, ad quam Fratris peccata deferen-

ferenda ſunt, totam Credentium Multitudinem intelligere præſumeret, is Legi Divinæ & Naturæ evidenter refragaretur. Ergonè Fratris tui delicta, quo caſu te, aliumvè monentem non audierit, jam per totam Civitatem, aut univerſum populum divulganda? Nunquid DEI Præcepta, ipſumque rectæ rationis lumen, diffamationes hujusmodi non prohibent? Delicta Fratris tui dic Eccleſiæ, ſed quoad partem principalem conſideratæ, non pro Grege, ſed Paſtore; non pro omni populo, ſed Regentibus populi ſumptæ, qui aberrantem in ſemitam rectam deducere valeant.

10. Affatim hæc in illo Cirtel ohne Mittel/ à num. 28. explanata ſunt: ad quæ D. Rector reſpondere debuiſſet, non autem rem penitus jam expeditam, rurſus in medium producere: ac præterea talem Scripturæ interpretationem commentari, cui nec ipſos D. Lutheranos, ſaltem ut plurimùm aſſenſuros, ſperabile. Ex memorato enim Textu, neſcio qua ſequela, infert pag. 16. *Singula cujusvis Eccleſiæ particularis membra poſſe validè & coram DEO, alteri remittere peccata; ſingulosque Chriſtianos Poteſtatem Presbyteralem in Eccleſiæ Miniſtros transferre* &c. Verùm & ego infero: Ergo

go approbat D. Rector illam Fæminarum hac in parte arrogantiam, quàm in Opusc. Lat. à num. 42. & Germ. à num. 85. descripseram. Infero præterea, Ergo nulla omnino Ministrorum apud Dissidentes necessitas, cùm in quavis Domo, unus alterum, Maritus Uxorem, Uxor Maritum à peccatis absolvere, reliquaque Spiritualia Munia obire, imo Presbyterum constituere valeat. Verbô, si Salvator noster præfato Scripturæ Textu, toti Ecclesiæ, id est omnibus & singulis Christianis (ut interpretatur D. Rector) Potestatem contulit Presbyteralem, igitur nec Electione opus est; imo quoties Dissidentes eligunt Ministros, Institutioni ipsius Christi (quem dicunt omnibus Baptizatis munus hoc concessisse) refragantur: nec Paulus rectè dixisset: *Mulier in Ecclesia taceat* &c. &c. Sicut illegitimè ageret Communitas, quæ Hæredem Principis liberè eligere præsumeret, supposito, quòd Principi huic unà cum Posteris suis Potestas regendi jam aliunde concessa fuisset. En quantum à tramite veri deviant, qui rejecta Catholica Scripturarum Interpretatione, privato sensui confidunt!

11. Non debebat latere D. Rectorem, quòd,

quòd, quoties homo hominem offendit graviter, duplex comittatur offensa, una Hominis, altera ipsius DEI, cujus mandatum de diligendo Proximo violatur. Jam nemo dubitat, quemvis hominem posse imo teneri condonare Fratri offensam suam; non tamen DEI, quæ eodem delicto contracta fuerat. Ad hanc enim remittendam, specialis & Divinitus concessa Apostolis, Eorumq; per legitimam Ordinationem Successoribus, Potestas requiritur. Verbô, nullum hactenus Argumentum, vel umbram probabilitatis præseferens, quòd Ecclesia pro Collectione populi sumpta Potestatem habeat creandi Presbyteros, exhibitum est.

12. Et nihilominus D. Rector sic concludit pag. 19. dicens: *Confirmata verborum Christi sententia universæ Christianæ Ecclesiæ probata, nobis incumbit probare, Antiquos Ecclesiæ Patres docuisse, Christum verbis illis, Ecclesiæ tanquam Sponsæ suæ tradidisse claves vel potestatem ligandi & solvendi peccata.* Verùm sicut in Christi verbis nihil planè deprehensum, ita profectò nec in Patribus reperiri poterit, quo Ministerium suum, unà cum præfata sententia validè fulciatur.

13. Quædam hìc consideranda præmitto.

tò. 1mo, D. Rectorem non stare promissis: pollicetur etenim Intentum suum se Testimoniis Patrum Universæ Christianæ Ecclesiæ comprobaturum; cùm tamen re vera unum duntaxat Augustinum producat (ut mox videbimus) & tum pauculos quosdam Recentiores, nempe Tostatum Episcopum Hispanum, Gersonem Parisiensem Cancellarium, & deniq; Academiam Cracoviensem. Quamvis etiam hi totô Cælô ab ejus distent proposito. 2dò, non rectè instituere Consequentiam: Ex hoc enim, quòd videatur Augustinus Universali Ecclesiæ Jurisdictionem tribuere, infert ille, idem tribuendum esse etiam Ecclesiæ ab Universali avulsæ, imo cuivis civitati, oppido, & particulari Credentium cætui: Et quidem non solùm Jurisdictionem quamcunq; Spiritualem, verùm etiam Mysteriosissimam illam Potestatem creandi Episcopos & Presbyteros. Sed quidquid interim sit.

14. Expendamus dicta Augustini, quibûs ille Claves & Potestatem ligandi atq; solvendi, in Petro, Universali Ecclesiæ datam esse à Christo, & Petrum, dum id sibi diceretur, totam Christi Ecclesiam repræsentâsse, identidem affirmat. Quem proinde

inde quasi Argumentorum suorum Achillem, vel maximè jactitant in præsenti Materia oppositi. Sed quam in cassum, Eruditus Lector dijudicet. Manifestè enim indigitabo, Augustinum illo omnino sensu locutum fuisse, quo ad hunc usq; diem omnes Catholici loqui consueverunt, dicentes, Ecclesiam docere, regere, ligare, absolvere, præcipere, leges condere, Potestatem habere &c. &c. Itaque:

15. *Respondeo primò*, objectis à D. Rectore pag. 19. cunctisq; objicibilibûs S. Augustini sententiis, Lutheranum nequaquam convinci posse in Conscientia, ut credat, Potestatem absolvendi à peccatis, aut (quod adhuc plus est) Potestatem creandi Episcopos & Presbyteros, concessam esse Ecclesiæ sumptæ pro omni fideli Populo, illîs Christi verbîs Mat. 16. v. 19. ad Petrum dictîs: *Tibi dabo Claves Regni Cælorum* &c. Et Mat. 18. v. 18. illîs ad Apostolos: *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram* &c. Et Joan. 20. v. 22. *Cùm Discipuli essent congregati, venit JESUS & dixit -- Sicut misit me Pater, & egò mitto vos: Et cùm hoc dixisset, insufflavit & dicit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c.

16. Ra-

16. Ratio est, 1. Quoniam Domini Lutherani profitentur, se à claro Scripturæ sensu propter nulla testimonia Patrum recedere velle. Porro evidens est, præfata Christi verba non ad totam Credentium Multitudinem, sed solos Apostolos directa fuisse. Quomodo igitur credent Augustino, etiam si dicatur Scripturam hanc aliter exposuisse? 2. Augustinus Tract. 124. (quem locum inter alios citat D. Rector) docet, inquiens: *Petrus Apostolus propter Apostolatûs sui Primatum, Ecclesiæ gerebat Personam.* At Petri Primatum agnoscere recusant Lutherani. 3. Eodem loco ait de Petro: *Quod ei dictum est, tibi dabo Claves Regni Cælorum -- Universalem significabat Ecclesiam.* Porro Dissidentium Pastores, præfatã Potestatem singulis Particularibus Ecclesiis & Collectionibus populi, collatam esse contendunt. 4. Innumeris ferè aliis in locis, e. c. l. 4. de Visit. Infirm. c. 4. ubi Augustinus adstruit *Confessionem auricularem.* Item in Psal. 33. ubi *Sacrificium Missæ.* Item l. 20. hom. 16. & alibi toties, ubi *Purgatorium*, &c. &c. non acquiescunt Augustino: Ergo à fortiori nec hìc acquiescent, ut à claro Scripturæ Textu recedant.

17. *Respondeo secundò*, conglomerationem

Textuum Auguſtini, neque ad id conducere, ut præcisè Catholici impugnentur. Dato enim gratìs & nunquam conceſſo, quòd Auguſtinus re vera tribuiſſet omni fideli Populo ligandi, atq; ſolvendi Poteſtatem: Reſponderemus, quid tum? Non omne quidquid ſcripſerat Auguſtinus, de Fide eſt: nec valet unus Eccleſiæ Doctor infallibilem credendi Regulam conſtituere. Imo nec poterat Auguſtinus talia in ſenſu Literali & genuino ſcripſiſſe, cùm manifeſtum ſit, Scripturam aliter ſonare. Verbô, Auguſtini Textus in ordine ad protegendum Diſſidentium Miniſterium, gratìs adducuntur.

16. *Sed reſpondeo tertiò*, extra dubium eſſe, quòd S. Auguſtinus ſenſu omnino ſano, ſemperq; in Eccleſia Chriſti uſitato, locutus fuerit. Quotieſcunq; enim docet, poteſtatem ligandi atq; ſolvendi, in Petro aut aliis Apoſtolis datam eſſe Eccleſiæ Univerſali, (ſive hanc Sponſam, ſive Columbam appellaveris) indicare vult *imò*, id non ſolis Apoſtolis, ita ut cum vita eorum hæc quoq; Poteſtas extingueretur, *verum etiam eorum in Regimine Eccleſiæ, Succeſſoribus conceſſum eſſe.* Ac proinde nomine Eccleſiæ, partem ejus Principalem, Spirituales

tuales

tuales videlicet Eccleſiæ Regentes & Paſtores intelligit. Sicut pariter juxta communem loquendi modum, totus homo dicitur cognoſcere, loqui, videre, &c. quamvis ſolùm caput cognoſcat, os loquatur, oculus videat. Sic dicitur totum Regnum aliquid ſtatuere, bella gerere, aut pacem concludere, ſi id Princeps, aut Regentes ejus faciant.

19. Et ideo ipſe Auguſtinus eodem t. 24. in Joan. ſe explicat, dicens: *Petrus propter Apoſtolatûs ſui Primatum, Eccleſiæ gerebat Perſonam.* Non dicit, Petrum geſſiſſe Perſonam inſtar cujusdam Delegati Eccleſiæ, qui Jurisdictionem & Poteſtatem non pro ſe, ſed pro communitate à Chriſto acceperit; ſed *propter Primatum*, ſeu tanquam Princeps Eccleſiæ ab ipſo Chriſto conſtitutus, qui Poteſtatem accipit pro ſe omnibusque ſuis Succeſſoribus. Idem quoq; colligitur ex ſequentibus ejusdem Auguſtini verbis: *Quod enim ad ipſum propriè pertinet, unus erat homo, unus Chriſtianus, & abundantiore gratia unus idemque Primus Apoſtolus.* Quaſi diceret, Petrus unus erat homo, qui ſolus Eccleſiam, tot inter perſecutiones usq; ad conſum̃ationem ſæculi duraturam regere non poterat; igitur non pro ſua

tantùm Persona, sed & pro omnibus Successoribus legitimis, præfatam à Christo potestatem acceperat. Eodem omnino sensu loquitur Alphonsus Tostatus, à D. Rectore pag. 21. citatus, ut manifestè patet ex Ratione quam adjecit dicens: *Si soli Petro datæ essent claves, sequeretur defunctô Petrô, non mansisse Claves in Ecclesia.* Igitur datæ sunt in Petro etiam successoribus ejus.

20. *2dò*, volebat Augustinus etiam hoc sensu Potestatem ligandi & solvendi, Universali datam esse Ecclesiæ, *quòd Hæc detur in Ecclesia*, & Ecclesia præfatam *Potestatem in se habeat*, sed non apud omnes. Testatur id ipse Augustinus Tract. 50. in Joan. inquiens: *Si hoc Petro tantùm dictum est, non facit hoc Ecclesia, si autem hoc in Ecclesia fit, Petrus quando claves accepit, Ecclesiam S. significavit.* En! juxta Augustinum, Ecclesiam facere, habere Potestatem, nihil aliud est, quàm in Ecclesia id fieri, in Ecclesia haberi Potestatem, sed non ab omnibus, verùm à Petri duntaxat & Apostolorum ritè ordinatis Successoribus. Sic dicere consuevimus, Civitas habet Magistratum, Jurisdictionem &c. id est in Civitate datur Magistratus, sed non apud omnes. Eodem planè modo scribit Firmilianus ad Cypria-

num

num Epist. 75. citatus à D. Rectore pag. 35. *Omnis Petestas & Gratia in Ecclesia constituta est, ubi præsident Majores natu* (nimirum Episcopi) *qui & baptizandi, & manum imponendi, & ordinandi possident Potestatem.*

21. *3tiò*, etiam hoc sensu toti Ecclesiæ data est Potestas, id est *in bonum totius Ecclesiæ*: (ut patet ex eodem Augustino, de Agone Christ. c. 30. ubi hortatur Luciferianos, ut ad Gremium Ecclesiæ Catholicæ redeant, in qua eædem claves, quæ olim Petro concessæ) Sic ipse Christus Salvator datus est nobis, non quòd Jus & Potestatem in Eum habeamus, sed quòd datus sit in bonum & utilitatem nostram. Sic dicitur Regimen, Magistratus, Potestas & Imperium dari subditis, hoc est, in commodum eorum, non autem quasi verò Populus ipse Jurisdictionem exercere valeat. Hinc, alio in loco inquit Augustinus: *Quòd Christiani sumus, propter nos est, quòd Præpositi sumus, propter vos est.*

22. Tandem *4tò*, etiam hoc sensu datam toti Ecclesiæ Potestatem Clavium, imo & constituendi Presbyteros, concedi potest; quòd videlicet eam *quodammodo radicaliter* habeat. Cùm enim Populus aut Magistratus præsentare Viros idoneos vel eligere ad

Presbyteratum ab Episcopo suscipiendum, valeat, eò ipso concurrit quodammodo ad Potestatem Presbyteralem, sed radicaliter & remotè, nempe apta suppeditando subjecta; non verò proximè, ipsam impertiendo Potestatem Presbyteralem. Idem vult Tostatus à D. Rectore pag. 22. inductus. Hoc ipsum præcisè hactenus evincere intendisse videtur D. Rector, tum probando nimis fusè, Comunitatem eligere posse Presbyteros; tum expresse asserendo p. 24. (sicut & pag. 33. &c.) *Ecclesia, quæ Christi Sponsa est, Potestatem illam radicaliter possidet.* Nec assertioni huic, modò præfato sano sensu accipiatur, reluctamur. Verùm hinc non plus sequitur, nisi quòd Communitas valeat exhibere Presbyterandum, nequaquam tamen ipsam nomine DEI conferre Potestatem Presbyteralem. Cùm hæc juxta Christi Institutionem, (quæ ex Apostolorum praxi colligitur) per Ordinationem Episcopi comunicari debeat, ut abunde in Opusculis meis demonstratum. Sicut in simili, licèt Parens etiam rudissimus, generando filium, eundemq; Literarum studiis applicando, potestatem habeat radicalem, efficiendi Doctorem, formaliter nihilominus & proximè talis fieri debet per Erudi-

tio-

tionem atque Institutionem &c. Magistrorum.

23. Ad illud, quod præterea D. Rector pag. 21. 22. ex Gersonio Parisiensi, nec non Academia Cracoviensi protulit, nempe Papam in casu dabili, ab Ecclesia deponi posse, Respondeo, hoc impertinenter se habere ad præsentem materiam. Licèt enim ad id ut quis Romanus sit Pontifex, Electio & Accceptatio Ecclesiæ requiratur: nemo tamen Doctorum unquam somniaverat, per Electionem hujusmodi acquiri Potestatem ordinis Presbyteralis aut Episcopalis. Ac proinde si eligatur in Romanum Pontificem, qui nondum est Presbyter aut Episcopus, ordinari debet ab Episcopo, sicut & alii.

24. Jam Lector Benevole, si Veritas, Animæq; salus cordi est, expende seriò, quæ hactenus dicta sunt; iterum iterumq; totum recole quidquid D. Rector à pag. 1. ad 22. pro sui Ministerii tutamine produxerat. Confer studiosè omnia cum iis Argumentis, quæ in Opusculis meis exaraveram: Et tandem conclude, utrum tota oppositæ vocationis structura, non sit super arenam ædificata? Nec perfunctoriè tanta trutinetur Disputatio, cùm à Presbyteratu legitimo, universus Ecclesiæ ordo, Sacramento-

rum valor, Germana Divini Verbi Prædicatio, deniq; tot Animarum æterna pendeat proſperitas.

25. Nec tantopere culpandus in præſenti D. Rector, quòd opinionem ſuam parum accom̃odatè probaverit; ſed ipſe potiùs Lutherus, qui tale adinvenit Miniſterium, quod etiam à Viro ſagaciſſimo veriſimiliter defendi nequit. Et ideo maluit D. Gottlieb Schelguigius Opuſcula mea per ſolas commentitias admirationes (interjectîs aliquot ſcom̃atibus) e. c. *Mirare* (inquit ille) *Lector Chriſtianiſmi amans, Sacrum Ordinem Miniſtrorum impugnari*; expedire. Quaſi verò tanta Controverſia, qua omnia nituntur reliqua, ubi deficiunt Rationes, ſolîs Phraſium Enthuſiaſmîs concludi poſſit.

26. Pro ſupplemento adjecit D. Rector à pag. 23. ad 32. incluſivè quædam miſcellanea, ſtatum quidem Presbyteralem concernentia, nihil tamen in ordine ad comprobandum, quòd totus Populus, ſeu (ut vocant) Eccleſia, Poteſtatem habeat creandi Presbyteros, conducentia. Pag. 23. allegat ſenſum hac de re Lutheranorum Smalcaldicorum. Verùm contra hos ipſos res eſt in præſenti. Pag. 24. 25. deſcribit Ritum vocandi Miniſtros Diſſidentium: quem

an-

antiquis Conciliorum nostrorum Decretis eatenus conformem esse exaggerat, quatenus Testimonium plebis de Ordinandorum Probitate, investigare consueverunt. Nec inficior: ast difformis est in substantia; cùm Potestas, non à ritè ordinatis Episcopis, sed à populo, qui eam nequaquam habet, emendicetur. Pag. 26.27. & 28. describit, juxta illud Apostoli, *oportet enim Episcopum esse irreprehensibilem* &c. qualemnam vitâ & moribûs oporteat esse Episcopum. Nec repugno. Illorum nihilominùs verborum, *unius uxoris vir*, explicatio, quasi verò Præceptum hìc impositum sit, ut Episcopus aut Presbyter actu uxorem habeat, est prorsus falsa, ut demonstratum in illo, Tittel ohne Mittel/ à num. 109. Miror D. Rectorem, Augustini, (quô superiùs tantopere gloriatur) vestigiis hac in parte insistere noluisse. Hic enim memorata Apostoli verba, de Bigamo (quòd, qui pro priori duas successivè, licèt legitimè habuerit uxores, non sit ordinandus) intelligit, l. de bono Conjug. c.18. inquiens: *Qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod comisit, sed normam quandam Sacramenti amisit, ad Ordinationis Ecclesiæ signaculum, necessariam.*

27. A pag. *29*. de Impositione manuum ac Ordinatione discurrit, asserens, hanc non esse de ratione Ministerii, nec per Ordinationem, sed Electionem conferri Potestatem Presbyteralem. Verùm hæc dicuntur, non probantur. Demonstratum autem est in utroq; Opusculo meo, Potestatem hanc necessariò tradendam esse ab Episcopo, non à populo, (ad quod tamen hactenus non responsum) quæ Traditio dicitur Ordinatio. Fit verò per signa externa, scilicet per manuum impositionem & formam verborum, unà cum precibus &c. Quam Divini Juris esse declaravi num. 10. in Lati. & num. 37. in Germ. Etiam illud, quod opponit D. Rector, nempe impositionem manuum in varios fines adhiberi solitam fuisse, jam plenè solutum est ibidem num. 12. & 39. Addit prætèrea pag. *20*. *Ananiam* (Act. 9. v. 17.) *Paulum ordinâsse*. Sed quomodo? cùm Paulus protunc nondum fuerit baptizatus. Item ait: In Ordinationibus non unum duntaxat Apostolum manus imposuisse, sed plures. Respondeo, idem pariter modò in Ecclesia Catholica observari: ast unus imponit ex motivo tradendi Potestatem Presbyteralem. Tandem inquit, Ordinationem quandoq; factam es-

se

ſe prætermiſſa manuum impoſitione. Reſpondeo, nunquam, niſi in vocatione extraordinaria im̃ediatè ſolius DEI aut Chriſti.

28. Ex hactenus dictis luculenter cõcluditur. Siquidem ex una parte, omnes afferibiles Rationes, quas D. Rector omni poſſibili conatu enucleavit, nullatenus evincunt, collectionem Fidelis Populi, Poteſtatem Presbyteralem conferre poſſe. Ex altera verò parte, in Opuſculis meis palpabiliter, ex Chriſti, Apoſtolorum, totiusq; Antiquiſſimæ Eccleſiæ praxi, demonſtratum, id, populum Electione ſua efficere non valere: Diſſidentium autem Miniſtri totam Miniſterii ſui ſubſtantiam à tali Electione habeant; Sequi manifeſtè, Presbyteralem eos Poteſtatem, validè adminiſtrandi Sacramenta, ac legitimè prædicandi verbum, nequaquam poſſidere.

Quæritur Secundò:

Utrum Rationes, quibûs D. Rector probare nititur, æq; Presbyterum ac Epiſcopum ordinare poſſe; nec hunc ab illo, Poteſtate ordinis differre; quempiam valeant convincere?

29. Reſpondeo negativè. Res patebit ex dicendis. Ante omnia tamen advertendum eſt, univerſum diſcurſum, quem hac de re à pag.

33. ad finem usque instituit, Ministerio suo nullatenus opitulari. Cùm enim ipsimet disertè doceant, se per Ordinationem non obtinere Potestatem Presbyteralem (ut toties fatetur, e. c. pag. 30. 31. D. Rector) nec Ordinationes eo fine à suis Superintendentibus adhiberi, sed prorsus alio, esseque rem adiaphoram & non omnino necessariam. Hinc, insistendo Doctrinæ suæ, perinde se habebit, sive valeat simplex Presbyter ordinare, sive non: ac proinde totum, quidquid D. Rector hac de re sollicitè conglomerat, temporis solùm fallendi causâ objicitur.

30. Verùm enim verò, ut veritas nostra (quam in illo Opusc. Lat. à num. 19. & Germ. à num. 45. ex Doctrina & Praxi Apostolorum, omnisque Christianæ tam in Ecclesia Græca, quàm Latina Antiquitatis usu ac sensu, succinctè licèt, nervosè tamen demonstravimus) quòd videlicet nemo valeat creare Presbyteros nisi ritè consecratus Episcopus, per Ordinationem; ab omnibus D. Rectoris objectamentis emundetur, Doctrinam Catholicam explico.

31. *Notandum primò*, Episcopum tres præcipuas habere Potestates. 1. *Potestatem Presbyteralem*, conficiendi Eucharistiam, absolvendi à peccatis &c. Et in hoc convenit cum Presbytero, ideoq; etiam Episcopus, Presbyter nuncupari solet. 2. *Potestatem Regiminis externi Spiritualis*, & hæc interdum, sicut olim in Primitiva, ita & nūc in Catholica Ecclesia, etiam Presbyteris (e c. sede vacante) committitur. 3. *Potestatem Ordinis Majoris*, id est creandi

andi Presbyterum aut Episcopum. Et per hanc principaliter atque indispensabiliter differt â simplici Presbytero. Presbyter itaque, cui ista præterea Potestas Ordinis confertur, Episcopus nuncupari solet, quales fuerant Apostoli, qualis Timotheus, Titus, & alii. Nec unquam pro vero Presbytero habitus, nisi qui ordinatus seu creatus esset à tali Presbytero Majore, cui specialis id faciendi Potestas Ordinis concessa fuerat, quem Episcopum nominamus. Ut declaratum in toties dictis Opusculis meis. Ac proinde frustra D. Rector pag. 34. inquit: *Non apparere aliam rationem, qua Episcopis adscripta sit Potestas Ordinandi, nisi ex ratione primæ Sedis, seu quòd primum locum occupet.* Imo è converso, quia habet Potestatem ordinandi, ritè ab aliis Episcopis communicatam, ideo meritò primum inter Presbyteros locum occupat, atque Major natu appellatur.

32. Hîs præsuppositîs, facilè quivis animadvertet, Testimonia PP. à D. Rectore pag. 34. 35. allegata, ne umbram favoris suæ opinionis exhibere. Firmilianus enim ad Cyprianum, & alii, Episcopos vocant *Majores natu. Præsidentes inter Presbyteros*, verùm non ideo præcisè, quòd primum locum occupaverint, sed quòd Potestatem Ordinandi, specialiter sibi vi Ordinis concessam, præ cæteris Presbyteris possederint. Synodus Carth. docet, Presbyteros unà cum Episcopo benedicente imponere manus illi qui ordinatur (quæ consuetudo etiam hodie in Ecclesia Catholica viget) sed non omnes ordinare: ast solus est Episcopus, qui be-

nedi-

nedicit & ordinat, ac proinde solus in hunc finem, adhibitâ præterea verborum formâ, manus imponit. In absentia Episcopi solet Presbyter (quod etiam nunc fit) vices ejus supplere, verùm quoad Regimen exterius Ecclesiæ, nunquam tamen quoad Potestatem ordinis. Hieronymus Epistolâ ad Evagrium & Eutychius Patriarcha Alex. nihil aliud volunt, nisi quòd omnes Catholici perlibenter concedunt, nempe Presbyteros elegisse Episcopum, sed non ordinâsse. Quòd verò illi 11. Presbyteri Alexandrini non ex fine Ordinandi Patriarcham, Duodecimo manus imposuerint, vel exinde est evidens, quoniam Patriarchatus quà talis, non est Ordo. Reddetur idipsum adhuc manifestius ex sequentibus. Itaque:

33. *Notandum 2dò,* Tempore Apostolorum, & per omnia retrò Sæcula, semper in Ecclesia fuisse duplicis sortis Sacerdotes: *Ordinis 2di, seu Minores,* quos vocamus Presbyteros, habentes Potestatem consecrandi Eucharistiam, absolvendi à peccatis &c. Et *Ordinis primi, seu Majores*, quos D. Rector, utpote Vir non perfunctoriè in Libris versatus, rectè dicit, Presbyteros *Præsidentes*, atque duplici honore dignos, ut scribit Justinianus Martyr, appellatos fuisse. Quibus præter Potestatem Presbyteralem ordinariam, specialiter quoque vi Ordinis concessa fuerat Potestas ordinandi, seu constituendi Presbyteros vel Episcopos. Et hi successu temporis, sicut & modò, propriô vocabulô Episcopi nuncupantur. Videtur id ipsum attigisse D. Rector pag. 38. dicens: *Præsidentes Presbyteri*

qi Ordinandis manum imposuerunt &c. Quòd verò tempore Apostolorum ac per continuò succedentia Sæcula non quivis Presbyter validè ordinare potuerit, sed soli Presbyteri Majoris Ordinis, qui postea appropriatô vocabulô Episcopi appellati, dilucidè in toties memoratis Opusculis comprobatum est.

34. Præter communem omnium Ecclesiæ Doctorum sensum, expressè id docet vel ipse Hieronymus (quem frustra nobis obtrudere nititur D. Rector) 5. & Mich. 8. dicens: *Non potest Presbyter ordinare, sicut potest Episcopus.* Et Epistolâ (à D. Rectore citatâ) ad Evagrium 85. *Quid facit Episcopus, NB. excepta Ordinatione, quod non faciat etiam Presbyter?* Et de Augustino (cui in hac materia creditis) testatur Possidius in vita ejus, cap. 4. quòd primùm à Valerio Episcopo ordinatus sit Presbyter, deinde post aliquot Annos ordinatus est Episcopus. Innuit id ipsum Augustinus Serm. 52. ad Fratres in Eremo. Et Chrysostomus (qui apprimè in Græcis literis versatus erat) in illud 1. Tim. 4. v. 14. *Noli negligere Gratiam* &c. scribens, inquit: *Non de Presbyteris hìc loquitur, sed de Episcopis, neque enim profectò Presbyteri ipsum ordinârunt.*

35. Jam, nomen hoc, *Episcopus*, (quod est operis non honoris, ut vult Augustinus 19. de Civit. c. 19.) ab initio, Apostolorum tempore fuerat commune omnibus Sacerdotibus, tam *Majoribus*, qui nunc Episcopi propriè dicuntur, quàm *Minoribus*, quos Presbyteros appellamus: Res tamen & Potestas semper fuerat distincta. Hinc, Chryso-

softo-

ſoſtomus exponens illa Apoſtoli verba ad Philip *Cum Epiſcopis & Diaconis* &c. ait : *Quid hoc ſib vult? tunc unius Civitatis plures erant Epiſcopi? nequaquam : tunc enim temporis adhuc vocabulum erat commune.* Irenæus autem l. 3 Epiſt. 14. addit *In Mileto convocatîs Epiſcopis & Presbyterîs, qui eran ab Epheſo, & à reliquis proximis Civitatibus.*

36. Sed cur olim Presbyteri vocabantur Epiſcopi? Reſpondeo, quoniam, ut dixi, nomen hoc non tam præcellentiam, quàm laborem & vigilantiam vi vocis ſignificabat. Et quia ſub initium Apoſtolorum, Sacerdos Major, ſeu primi Ordinis Presbyter habent Poteſtatem creandi alios Presbyteros, adeòque Præſidens, non regebat ſolus Eccleſiam ſuam, ſaltem multis in locis, nec Jurisdictionem in ipſos Presbyteros minores exercebat; ſed, ſi Hieronymo in 1. ad Titum, credimus, communî Presbyterorum Conſiliô & labore regebantur Eccleſiæ. Ubi verò advertiſſent Apoſtoli, creſcente fidelium numerô, ex Diaboli inſtinctu, Schiſmata inter Presbyteros Minores fieri, quatenus præfata communicatione Epiſcopali cum Sacerdote Majore, ab uterentur, cùm dicerent; unus, *Ego ſum Pauli*, al ter, *Ego ſum Cephæ* &c. Concluſerunt, debita ſubjectione uni Rectori, prædicto videlicet Sacerdoti Majori, ad ritè gubernandum, opus eſſe Et abhinc ſoli Presbyteri Præſidentes ſeu prim Ordinis, habentes virtutem creandi Presbyteros cœperunt proprio nomine vocari Epiſcopi; ne non judicare Presbyteros, ut videre eſt 1. Tim

4. *Ad*

4. *Adversùs Presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*

37. Ex dictis perspicuum est, quidnam re vera velint textus illi Scripturæ, quos D. Rector pag. 36. & 37. unâ cum Hieronymi effato, (ut ordinariè consueverunt) obtrudit. Nimirum, ab initio, cum Episcopis vocabulum nondum solis Presbyterîs Præsidentibus, ac speciali creandi Ecclesiæ Ministros Potestate præditis, peculiariter appropriatum esset, interdum etiam Presbyteros, Episcopos, & è converso, nominatos fuisse; quamvis Potestas Ordinis procul dubio, tota attestante Antiquitate, semper in Ecclesia Christi distingueretur.

38. Tandem post hæc, à pag. 39. ad ultimam, sermocinatur D. Rector de Ecclesiæ Lutheranæ Antiquitate; de Successione Doctrinæ & Personarum; de Jure suo vocandi Ministros; de Schismate circa Electionem quorundam Pontificum; de Corruptione Ecclesiæ, temporibûs Lutheri &c. Verùm quoniam omnia & singula plusquàm superabundè in Tractatu meo, D. Löschero abgenurzte Fuchtel / nuncupato, jam refutata sunt, ne Crambe cum fastidio repetatur, eò Lectorem benevolum remitto submisissimè.

Ad M. D. Gl.

1 G. Hannenb. Theol. Contr. recensetur in
N. G. H. 1723. 944–947. cum epicrisi
ad Dedicat. eidem praem.

2 Ad p. 82 Cur sacramenta Latino idio-
mate administrentur? v. pl. <u>Schlüsselburg</u>
Catal. Haer.